

enim quibusdam, quod non merentur, profecto gratuitam, et per hoc veram suam gratiam esse voluit, non omnibus dando, quid omnes merentur, ostendit. 3<sup>o</sup>. L. de corr. et gr. c. 11. n. 32. de adjutorio sine quo non, sic loquitur : Si hoc adjutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidisset : adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est : quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum. Sed hujus adjutorii nomine gratiam sufficientem intelligi ex prima parte æque certum est, ac nunc quibusdam a Deo negari ex altera liquet; ergo.

R. N. Ass. Ad prob. 1<sup>am</sup>. D. Exæcatus audit tantum vocem legis, excludendo per hoc gratiam actionis seu proxime sufficientem C. excludendo etiam gratiam orationis seu remote sufficientem N. Vox illa *legis* est vox Dei interius monentis ad implorandam gratiam Salvatoris, et non est vox tantum exterior hominis : tum quia sermo est de lege naturali cordibus hominum inscripta : tum quia eod. libr. c. 43. hæc admonitio tribuitur Deo, dum dicitur : Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis; quibus verbis duplex gratiæ genus in responsione memoratum exprimit.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. D. Non omnibus datur gratia perseverantiae, aut alia congrua C. non datur gratia sufficientis N. De priori duntaxat sermonem fuisse ostendunt tum ipsa inscriptio libri, tum verba proxime præcedentia : *Hominibus dat, quibus vult, quoniam misericors est; quod et si non dat, justus est, et non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriae suæ in vasa misericordiæ*; hæc enim divitiae in vasa misericordiæ gratias *congruas* significant, quibus vasa iræ carent. Nec obest, quod etiam gratia sufficientis sit *gratuita*, et post peccatum primi Parentis beneficium indebitum; etsi enim illa per se non amplius homini lapso debeatur, debetur tamen ex voluntate Dei salvandi omnes peccatum originale consequente, atque ex precepto divino ad conversionem aliosque actus supernaturales obligante, quod sine concessione aut oblatione gratiæ sufficientis foret impossibile.

Ad 3<sup>am</sup>. R. SUAREZ dicit, gratiam ad perseverandum angelis et Adæ datum fuisse *proxime sufficientem*, atque hanc negari jam nonnullis in pœnam peccati; nulli tamen deesse remote sufficientem. DECHAMPS ait, gratiam in statu naturæ integræ concessam ad potentiam perseverandi fuisse *habitualē*, quod ipsum etiam Jansenius fatetur; hanc vero pluribus in statu naturæ lapsæ deesse sive in originalis, sive actualis peccati pœnam, quamvis nulli negetur gratia actualis sive congrua sive sufficientis, eaque vel proxima, vel remota. Alii verba illa : Nunc autem quibus deest tale adjutorium, non esse relativa ad adjutorium Adæ datum, ut posset perseverare, nec ad adjutorium potestatis perseverandi homini lapso datum; sed referri ad ipsam *perseverantiam*, seu intelligi adjutorium perseverandi efficax, quod jam prædestinatis datur, quia in fine c. 12. subjungit S. Doctor : Hæc de his loquor, qui *prædestinati sunt*.

Quelbet harum responsionum *probabilis* est; in secunda tamen optime videtur explicari, quomodo gratia, quæ nunc quibusdam datur, non detur secundum debitum; siquidem hæc negatio significet gratiam quodammodo

secundum debitum fuisse dandam, ubi primus homo non peccasset : eo quod ex divina promissione et pacto cum Adam inito gratia habitualis omnibus in ipsa conceptione deberetur.

334. Obj. III. Peccatum, maxime *obdurbationis*, meretur subtractionem omnis gratiæ tanquam pœnam; expedit autem ad ostensionem divinæ justitiae et ad terrorēm aliorum, ut interdum Deus illa utatur; ergo de facto id fieri est asserendum.

R. N. 2<sup>am</sup>. p. Ant. Quamvis enim peccatum *omni pœna* sit dignum, neque tamen ad justitiam, neque ad providentiam Dei pertinet, illam inferre homini hanc vitam degenti: cum enim homo, quamdiu hic vivit, sit in statu *viatoris*, de ratione autem viæ sit, ut in ea semper possit ad terminum accedi: sequitur repugnare statui viatoris, privari omnibus auxiliis sufficientibus, utpote quibus potestas accedendi ad terminum continetur.

Inst. 1. Deus nonnunquam miraculose interficit hominem actualiter peccantem, et vivum demergit in infernum; ergo etiam aliquos ita deserit in peccatis, ut surgere nequeant; cum hæc pœna sit minor priore.

R. Disparitas est; quia hac demersione aut mortis illatione finitur via hominis adeoque statui viatoris non repugnat; præsentim cum Deus ita se cum illo gerat, ut si in puncto mortis poenitentiam agere vellet, auxilium illi non deesset: unde etiam nec misericordie repugnat hæc pœna; et quia plerumque est publica ac sensibilis, expedit ad bonum commune: contrarium *ex dictis* manet in alia pœna, quantumvis illa minör esse permittatur.

Inst. 2. Deus aliquando ita confirmat quosdam *in gratia*, ut cadere non possint; ergo et aliquos e contrario derelinquit ita, ut a peccatis resurgere nequeant; tum quia status viæ hujus ad utrumque est indifferens, tum quia justitiæ non minores tribuendi sunt effectus, ac misericordie.

R. 1<sup>o</sup>. N. A. Confirmatus *in gratia* non caret absolute potestate peccandi, sed ita duntaxat custoditur, ac infallibiliter gubernatur, ut hac potestate nunquam abutatur; ideoque tantum, ut tali protectioni substans, dicitur peccare non posse.

R. 2<sup>o</sup>. N. Cons. Disparitas est; quia confirmatio in gratia est opus *misericordiæ*, quod non repugnat justitiæ, nec statui viatoris; quia posse deflectere a via, quod confirmatus in gratia non habet, ad statum viatoris per accidens est; posse autem ad terminum accedere, quod illi convenit, per se requiritur: obstinatio autem in peccato licet videatur esse opus *justitiæ*, tamen repugnat misericordiæ divinæ, et est pœna excedens statum viæ; cum omnino desertus non habeat id, quod per se ad statum viatoris exigitur: ex quo patet responsio ad probationes.

Inst. 3. Sequuntur varia absurdæ : 1. Quod obdurati in *omni instanti* habeant gratiam sufficientem ad pœnitendum; cum in *omni* teneantur pœnitere: hoc autem dici non posse patet ex monito Davidis, Psal. 94. : Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

2. Quod non detur peccatum *ignorantiæ*, cum enim hoc supponat defectum cognitionis seu illustrationis, ex quo sequitur impotentia illud vitandi; juxta nos tamen deberet adesse gratia illustrationis, utpote in qua gratiam sufficientem partialiter reponimus.

3. Quod non peccetur adeundo *occasione proximam*: ideo enim pecca-

tur, quia temerarius est adeundo occasionem, in qua deficit illi auxilium sufficiens ad resistendum; si vero hoc auxilium ibidem non deficeret, nec temerarius foret, qui eam adit, consequenter nec peccaret.

4. Quod vel *selestissimus* quisque, dum meretricios amplexus captat, mortem meditatur inimico, aut alienis inhiat, sentiat in se mentis illustrationem et motionem cordis salutarem; quod tamen est contra experientiam et impiorum confessionem.

R. N. Ass. Ad 1<sup>um</sup>. N. Seq. Nec enim *statim* ac singulis momentis urget praeceptum pœnitendi; nec obligat actu *imputabiliter*, nisi actu advertatur: sicut ergo obduratus non committit singulis instantibus peccatum huic præcepto oppositum; sic neque in singulis debetur ipsi gratia sufficiens, sed pro loco et tempore, cum obligatio præcepti advertitur.

Ad 2<sup>um</sup>. N. Seq. Ut ex *ignorantia* vere peccetur, duo concurrere necesse est, nempe ut ignorantia et debuerit et potuerit vitari. Potentiam hanc non deesse obduratis testatur AUG. L. de lib. arb. c. 19. dicens: *Nulli homini ablatum est scire utiliter quererere, quod inutiliter ignoratur, et humiliiter confitendam esse imbecillitatem, ut querenti et confitenti ille subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat;* si quis tamen in ipso actu, qui ex ignorantia ponitur, non habeat potentiam, aut advertat obligationem vincendi ignorantiam, hic actus formalem malitiam peccati non habet distinctam ab illa, quæ fuit in negligentia priore inquirendi veritatem, ut iterum AUG. l. c. docet: *Non tibi imputatur ad culpm, quod invitus ignoras, sed quod negligis, quod ignoras; non quod vulnerata membra non colligis, sed quod voluntatem sanare contemnis:* unde patet ad illum actum ex ignorantia factum non requiri novum auxilium illustrationis sufficiens, præter illud, quod ad negligentiam vitandam datum erat.

Ad 3<sup>um</sup>. N. Seq. Non enim imprimis ob *temeritatem* tantum peccat occasio nem proximam ingressus, sed maxime, quia gnarus perire eum, *qui periculum amat*, dum periculo se sciens prudensque exponit, se non admodum a lapsu abhorre demonstrat: deinde vero quamvis in ipsa *occasione proxima* auxilium qualcumque sufficiens non deficiat, inde tamen temeritatis nota minime deletur; cum et in aliis negotiis *temerarius* audiat, qui absque prudenti ratione ac spe probabili periculum vitae vel fortunarum subit, quantumvis absolute loquendo illud evadere queat. Præterea etsi etiam nec auxilium remote sufficiens præsto foret in ipsa occasione, vel *moraliter* tamen loquendo datum esse auxilium sufficiens ad lapsum in occasione vitandum asseri potest; quia auxilium, quod quis accepit ad non adeundam occasionem, *moraliter* sufficiebat ad vitandum in occasione lapsum: vel saltem nuper dicta de peccato ignorantiae hue etiam applicari poterunt.

Ad 4<sup>um</sup>. R. 1<sup>o</sup>. N. Seq. Quia sicut ad peccandum in his casibus non requiritur actualis attentio ad regulam morum, a qua deflectitur per hos actus; sic nec requiritur *actualis perceptio* illustrationis cœlestis, adeoque nec ipsa illustratio: præsertim cum sufficiat eam proxime præcessisse et fuisse rejectam; ac præterea gratiam supernaturalem nec omnibus momentis dari, nec ad omnem actum primum non peccandi constituendum necessariam asseramus.

R. 2<sup>o</sup>. N. prob. Non enim repugnat *experientiae* ab ejusmodi hominibus in ipso etiam peccati aditu sentir quendam horrorem et conscientiae a peccato

avocantis monitum: nec obstat confessio peccantium forsitan contraria; potest enim illa *illustratio* ob subitam animi alio aversi mutationem, aut ob firmam ad objectum malum adhesionem, tam levem sensum intimum excitare, aut tam tenui reflexione adverteri, ut mens ejusdem statim ac prorsus obliviscatur, nec conscientia maneat.

*Inst. 4.* Statuta est a nobis assertio nostra, ut peccatores obstinati *inexcusabiles* reddantur, dum non agunt pœnitentiam et peccant: sed etsi desit gratia sufficiens, obstinati peccatores excusari nequeunt, sive dum pœnitentiam non agunt, sive dum peccant; ergo.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p. min.* Qui potest implere præceptum pœnitendi, et non agit pœnitentiam, nequit *excusari*: sed etsi desit gratia sufficiens, homo tamen habet potentiam implendi supernaturale præceptum pœnitentiæ; quia retinet adhuc liberum arbitrium, flexible ad bonum et pœnitentiam salutarem, in quo stat sufficiens potestas; ut ex S. AUG. L. de prædest. SS. c. 5. n. 10. colligitur, ubi dicit: *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum; habere autem fidem sicut et charitatem, gratia est fidelium.*

*Prob. 2<sup>a</sup>. p. min.* Ad hoc, ut aliquis *imputabiliter* peccet, seu nequeat excusari, dum peccat, sufficit libertas seu potestas agendi vel non agendi, quod opere ipso exercetur: sed haec libertas et potestas est etiam in iis, qui gratia sufficiens sunt destituti; tum quia habemus liberum arbitrium ad malum sine gratia; et neutiquain vel ratione *objecti*, vel ratione alicujus *principii* alterius determinatum ad aliquod privatum opus malum: tum quia sicut Christi meritum salvatur a D. THOMA per hoc, quod voluntas ejus licet determinata ad bonum, non tamen fuerit determinata ad hoc vel illud bonum; sic etiam hominis demeritum satis habetur per hoc, quod ejus voluntas licet impotens ad bonum ob gratiae defectum, non tamen sit determinata ad hoc vel illud malum.

R. N. Sufficiens potentiam salutariter pœnitendi stare in *flexibilitate arbitrii* ad bonum; haec enim major non est, quam potestas in ipsis etiam demonibus ac damnatis ex eorum conditione naturæ non amissæ remanens. Præterea est mera *capacitas passiva* recipiendi gratiam, quam S. AUG. textu allato tantum indicavit, non vero activa possibilis credendi aut pœnitendi, quæ tamen una sufficit, ac requiritur, ut prævaricatio legis imputetur ad culpam; quemadmodum id AUG. etiam de angelo et homine in statu integratatis asseruit L. de corr. et gr. c. 11. Demum cum sit *pure naturalis*, est insufficiens et plane nulla potentia ad salutariter pœnitendum; ut constat ex dictis supra, maxime ex TRID. Sess. 6. Can. 3.

*Ad prob. 2<sup>o</sup>. p. T. M. D. m.* Libertas indifferentiae quoad exercitium, seu potestas agendi vel non agendi etiam est in *obduratis* gratia sufficiens destitutis, in casu præcepti *negativi*, et ubi præcise agitur de vitando peccato T. in casu præcepti *affirmativi* supernaturalis, et ubi agitur de ponendo actu salutari, v. g. pœnitentiae N. Sine gratia nulla datur potentia salutariter pœnitendi, aut mutandi voluntatem in melius, adeoque homo sufficienti gratia destitutus non habet libertatem indifferentiae quoad exercitium respectu hujus *pœnitentiae* ac conversionis: supponitur autem peccator habere illam libertatem respectu peccati, et Christus etiam habuit potestatem omitendi vel ponendi illum actum bonum, quo est meritus, ut S. THOMAS omnesque asserunt.

Transmissa est *Major*; quia licet libertas *contrarietas* non sit essentialis libertati ut sic essentialiter sumptae, tamen illa facultas flectendi se ad actus contrarios pertinet ad statum puri hominis viatoris lapsi, sed et reparati; ac proinde sicut facultas datur libera ad peccandum, sic etiam per gratiam adest facultas non tantum ad non peccandum, sed etiam ad oppositum actum rectum.

*Inst. 3.* Impotentia, quae est *mere concomitans*, non vero antecedens, ac præterea *voluntaria*, non excusat a peccato: sed potentia pœnitendi in obduratis est imprimis *mere concomitans*; quia non ideo omittunt pœnitentiam et peccant, quia non possunt pœnitentiam agere et non peccare; sed quia non volunt pœnitere, sed peccare, adeo ut si possent pœnitere, tamen nolent: quod constat inde, quia suæ potentie nescii libentissime peccant et non agunt pœnitentiam. Deinde est *voluntaria*, quia ad eorum peccatum vel originale vel actuale volitum consequitur, ut ex S. Aug. L. de corr. et gr. c. 6., L. 1. op. imperf. n. 103., L. 1. Retr. c. 15. n. 2. et PROSP. Carm. de Ingrat. c. 32. v. 648. et seqq. constat; ergo.

*R. 1º. D. M.* Impotentia concomitans et voluntaria, quæ se tenet ex parte potentiae executivæ, non excusat a peccato *C.* quæ se tenet ex parte ipsius voluntatis *N.* Si enim ex parte potentiae executivæ stet potentia, *mere concomitans* relinquit actui voluntatis rationem voluntarii ac liberi; *voluntaria* vero ac consequens supponit eundem actum omnino liberum ac voluntarium; adeoque formalem malitiam in actu voluntatis positam non impediat: si autem potentia afficiat *ipsam voluntatem*, sive dicatur concomitans, sive antecedenter volita, actum primum voluntatis non relinquit indifferenter et ad contradictionia potentem; adeoque non est mere concomitans et consequens, sed *antecedens*: ac proinde libertatem impedit et excusat a peccato saltem formaliter ac proprie denominato; pro quo valet regula ab Aug. L. 3. de lib. arb. c. 18. n. 50. data: *Hoc brevissimum tene: quaecumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur: quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?*

*R. 2º. N. m.* Quoad 1<sup>um</sup>. memb. *R.* Obduri volentes quidem non agunt pœnitentiam, non tamen eam non agunt, quia nolunt, sed quia non possunt pœnitere; cum omittere pœnitentiam ex libera voluntate supponat posse pœnitere, quod deficit in *obduratis gratia destitutis*: neque ignorantia potentiae aut falsa existimatio potentiae facit adesse potentiam, aut tollit impossibilitatem; unde ex eadem nihil inferri potest pro libera omissione pœnitentiae impossibilis.

Quoad 2<sup>um</sup>. memb. *R.* Patet ex dictis, illam ex parte voluntatis potentiam reipsa esse *antecedentem*, tollereque veram libertatem ad merendum et demerendum requisitam; quod confirmatur ex prop. 1<sup>a</sup>. ab ALEX. VIII. damnata.

Neque huic responsioni obstat auctoritas PATRUM; quippe qui nec in designatis locis asserunt *omnitudinem potentiam ex peccatis vel originali vel actuali provenire*. Aug. primo loco duntaxat loquitur vel de gratia *habituali* vel de gratia *actionis seu proxime sufficiente*, quam non regeneratis ob originale primum negatam, regeneratis ob actuale peccatum subtractam ait. Secundo et tertio loco cæcitatem et resistendi potentiam pœnam quidem peccati dicit; sed cum eadem simul ibidem asserat esse peccata, scilicet

*proprie et formaliter* talia, hoc ipso nec cæcitatem consummatam, nec impossibilitatem proprii nominis, sed difficultatem intelligit. PROSPERI textus sicut cum loco primo Aug. congruit, sic eadem responsione explicatur, præsertim cum c. 15. ad object. Vincent. dicat: *Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.*

## ARTICULUS V.

## AN INFIDELIBUS DETUR GRATIA SUFFICIENS AD FIDEM ET JUSTIFICATIONEM?

353. *Nota.* Negative infideles sunt, qui Evangelii prædicationem nec audierunt, nec audire recusarunt; positive infideles, qui Evangelium vel audire recusarunt, vel auditum contempserunt. Gratia ad fidem sufficiens, sicut reliquæ omnes proprie tales, stat in *illustratione cœlitus infusa et pio voluntatis motu diuinitus impresso*; plerumque tamen conjungitur cum exteriore aliqua et sensibili. Res hæc externa cum gratia proxime ad fidem sufficiente conjuncta, est *prædicatio Evangelii*; ut ex verbis ad Rom. 10. v. 14. colligitur: *Quomodo credent ei, quem non audierint? quomodo autem audient sine prædicante? conjuncta autem cum remote sufficiens est rerum creatarum testimonium, quo in cognitionem et amorem Dei, aut observationem legis naturalis homo incitatur; ut rursus ex ead. ep. 1. v. 20. eruitur: Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles.*

Positive infidelibus pro loco et tempore dari gratiam sufficientem facile conficitur; quia his vel predicatur Evangelium, vel hujus prædicatio offeratur: *Prædicatum est autem, ut S. Aug. de civit. Dei L. 18. c. 50. ait, toto orbe Evangelium, contestante Deo non solum signis, et ostentis, et variis virtutibus, sed et Spiritus sancti muneribus, id est, gratia interiori;* ergo. Itaque infideles negative tales quæstio præcipue tangit; quam tamen cum Jansenius L. 3. de gr. Christ. c. 11. universim neget, et gratiam remote sufficientem asserat ex officina Semipelagianorum conquisitam; universim quoque nobis loquendum erit.

356. *Dico.* Infidelibus omnibus pro tempore ac loco datur a Deo gratia saltem remote sufficiens ad fidem et postmodum justificationem obtinendam.

*Prob. AUCTORITATE I. SCRIPTURÆ.* Gratia fidei comparatur cum luce et calore juxta illud Joann. 1. de Christo enuntiatum: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* et Ps. 18. v. 7. *Nec est, qui se abscondat a calore ejus.* Sed tum his Scripture verbis aperitis, tum Patrum interpretationibus declaratur hanc lucem et calorem dari vel offerri omnibus, nullo excepto: 1<sup>um</sup>. enim constat ex illis: *omnem hominem et non est, qui, etc.* 2<sup>um</sup>. autem habetur ex CHRYS. qui hom. 7. in Joann. (al. 8. n. 1.) inquit: *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quoniam pacto tot homines sine lumine permanent?... Quomodo ergo illuminat omnem hominem?* Illuminat profecto quantum in ipso est. *Si qui autem sponte sua, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris persistierunt; sed malitia sua;* et ex CYRIL.